



Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd liber vitæ sit ipsa visio aduenientis iudicis; quia quicquid quis
fecerat, ipso viso statim intelliget. cvii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

Quod in die iudicij, duo ordines in quatuor diuidantur.

Caput CVI.

DVx sunt differentiæ vel ordines hominum in iudicio, *Ex dictis Isidori*.
Hoc est, electorum & reproborum. Qui tamen diuiduntur in quatuor. Perfectorum ordo unus est, qui cum Deo iudicat, & alius qui iudicatur. Vtrique tamen cum Christo regnabunt. Si similiter ordo reproborum pariter in duo: dum hi qui intra ecclesiam sunt mali, iudicandi sunt, & damnandi. Qui verò extra ecclesiam inueniendi sunt, non sunt iudicandi, sed tantum damnandi. Primus igitur eorum ordo qui iudicantur, & pereunt, opponitur illi ordinis bonorum de quo sunt qui iudicantur & regnant. Secundus ordo eorum qui non iudicantur, & pereunt, opponitur illi ordinis perfectorum qui sunt hi qui non iudicantur, & regnant. Tertius ordo eorum qui iudicantur & regnant: illi ordinis contrarius est de quo sunt qui iudicantur & pereunt. Quartus ordo eorum qui non iudicantur & regnant: opponitur illi contrario ordini qui illi sunt qui non iudicantur & pereunt. Gemina punitur sententia impius: dum aut hic pro suis meritis mentis cæcitate percutitur ne veritatem videat, aut dum in fine damnabitur, ut debitas penas exoluat.

*Quod liber vitæ sit ipsa visio aduenientis iudicis: quia
quicquid quis fecerit, ipso viso statim intelliget.*

Caput CVII.

LIbri aperti sunt, & aliis liber apertus est qui est vi- *Gregor.*
*L*tae: & iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in *in suis mo* libris. Liber nanque vitæ est ipsa visio aduenientis iudicis. *rati.dicit.*
In quo quasi scriptum est omne mandatum: quia quisquis eum viderit, mox teste conscientia quicquid non fecit intelligit. Libri etiam aperti referuntur: quia iustorum tunc vita conspicitur, in quibus mandata cœlestia opere impressa cernuntur. Et iudicati sunt mortui ex his quæ scripta erant in libris: quia in ostensa vita iustorum, quasi in expansione librorum, legunt bonum quod agere ipsi noluerunt: atque eorum qui fecerunt comparatione damnantur. Ne ergo unusquisque tunc videns eos, quod non fecit defleat, nunc in eis quod imitetur, attendat, quod quidam facere non cessant.